



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Pro damno personali an aliquid debeatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

hinc, non posse remittere damnum factum alteri, si
est, suis heredibus; ergo non possumus recurrere ad
hanc remissionem. Respondeo: hoc iam dictum est sa-
tis a num. 10.

16. Hoc pertinent tres subdubitationes. Prima, an qui
potest fugere, si invadatur, nec tamen fugit, sed occidit
invadentem; ad restitutionem obligetur. Respondeo, qui
occidit solum tunc delinquit contra Charitatem, ut pote
quia sine magno incommodo per fugam poterat illud
homicidium vitari; consequenter putant, nullum vsge-
re omnis restitutionem. Ita Less. lib. 2. cap. 9. dub. 21. n. 136. &
137. Molin. disp. 81. num. 2. Qui vero censent etiam
peccari contra iustitiam, ut pote, quia unusquisque habet
potestatem occidendi auctoritate privata; restitutionis oneri
occidentem merito submittunt. Ita de Lugo tom. 1. de
med. 10. sect. 8. n. 170. & 11. sect. 2. num. 55. Nos expecta-
mus iterum damus, quod num. 15. proposuimus:
namque invadentem posse præsumi damna eventura re-
mittere. &c.

17. Secunda: Quid iuris in restitutione, quando, qui
trix initium dedit, occidit, vel occiditur. Respondeo, si
Petrus rixæ de causam solum verbis Paulo, & Paulus
occidit Petrum, sanè Paulus reus erit restitutionis. Ita
Molin. loc. cit. num. 5. & 4. lib. 2. cap. 9. d. 21. n. 137. quia ob
solum verborum contumeliam, iniuste Petrus occi-
dit. Si contra, in eandem Petrum solis verbis rixantem
insurgat gladio Paulus, Petrus autem, ne occidatur
ipsum Paulum transuerberet; ad nihil tenetur Petrus
quia quavis prædictæ verbalis rixæ & peccato au-
thor fuerit; tamen postquam gladio contra ipsum Pau-
lum insurgit, potest se defendere, & cum moderamine
occidere iniuste insurgentem: sic ergo de similibus phi-
losophatur.

18. Tertia: Si pugnantibus Petrus cum Paulo, socij
alterutro occidit aliquem obligabitur? Petrus, &
Paulus est restitutionem occisi; Respondeo, si excitant
socios, obligati non est dubium; quia iam sunt
concausæ homicidij: At si sponte hi socij se im-
pugnare, ipsimet impotent: neque enim sola mea pugna
causa est (nisi multum per accidens) ut alij accurrant,
pugnent, occidantque, vide tamen quæ dicam mox § 5.

19. Illa quidem difficultas est non vulgaris: Si ego
socios excitavi ad pugnam, & deinde remanet aliquis
occisus ex ipsis meis sociis; an ego huic occiso restituti-
onem debeam;

Respondeo: Duplex de morte est sententia: Altera
docet se debere restitutionem; imò & contrahere irre-
gularem; quia per consilium, & suasionem causa
fuit mortis. Ita Suarez, Avila, Navar. Cominch. quos
citatur, sequiturque Dian. p. 4. tra. 2. de irreg. res. 1. 2. Al-
tera negat se restitutionem debere, negatque irregulari-
tatem contrahere. Ita Vasquez, Turrian. Gaspar Hurtad.
quos citatur, sequiturque de Lugo disp. 12. sect. 3. num. 58.
quia suadent, licet peccet contra Charitatem; cum ta-
men nec fraude, nec dolo suadet, non peccat contra ju-
sticiam; scienti enim, & volenti non fit injuria: ergo
damna ex occasione orta non tribuuntur illi, ut Authori
inipito. Quare si tu contra iustitiam non peccas; nec de-
bes esse obnoxius restitutioni, nec irregularitati: quod si
socios, propter aggressionem tuam injustam contra tuos
inimicos; in necessitatem conjecisti pugnandi; quia
minimè adversarij, ut te offenderent contra, tuos
socios insurrexerunt, atque aliquem ex his occiderunt:
sanè tunc obligaberis ad restitutionem, & si irregulari-
tis: qui tunc injusta causa fuisti mortis tui socij: ut ex
re constat.

Pro bonis spiritualibus occisi, an aliquid debeat?

Alium pro alio occidens.

20. Dubitatur quarto: An pro bonis spiritualibus,
quæ fecisset occisus, si vixisset, debeat aliquid injusti
homicida?

Respondet Lessius lib. 2. c. 9. d. 17. nihil debere; Bona
Par. I.

enim illa vel considerantur quoad meritum, vel quoad
satisfactionem. Prius est irreparabile; quia meritum
vnius non potest alteri dari, atque adeò meritum ho-
micidæ non potest reparare meritum occisi, quoad sa-
tisfactionem autem, quamvis hæc possit alteri dari, ta-
men non constat in casu nostro, an occisus aliqua sa-
tisfactione sit privatus; neque utrum ea, quam homi-
cida pro eo exhibebit, illi profutura sit. Adde, non
posse certam mensuram constitui; quam sit obligatus
homicida exhibere. Quam ergo dabit? certe in tanta
indeterminatione nullam: hæc ex Lessio.

21. Item, habet sequentem casum: Considerat Pe-
trus testamentum, in quo disponebat, ut ex redditu,
quem exacturus erat ex sua pensione vitalitia, cen-
tum Missæ pro se celebrarentur; interim occisus est
à Paulo, unde ex defectu census; qui ipsius morte
cessavit, Missæ non sunt celebratæ: ad quid obligatur
Paulus;

Respondeo: Salonijs. in 1. 2. q. 62. art. 2. contr. 4. f. 368
apud de Lugo tom. 2. de iust. d. 11. sect. 1. n. 3. Et quidem
merito, ad eas Missas relaxandas obligat Paulum; si
enim opifici à te restituendum est, quod per operas
materiales tuâ causâ minus lucratur, non video, cur,
à te non sit restituendum pro damno spirituali, quod
quæ tuâ causâ invitus incurrit. Nec obstat, quod
modò diximus ex Lessio, nesciri, utrum satisfactio hæc
occiso profutura sit; quia nec scit contrarium; ergo
res manet dubia negativè: in hoc autem dubio, melior
esse debet conditio disponens. Quod si verè constet
occisum decessisse in mortali (sed quando de Christia-
no tanta certitudo?) tunc non virgeret prædicta obli-
gatio; siquidem inutiliter pro illa anima eæ Missæ ce-
lebrarentur.

Pro damno personali, an aliquid debeat?

22. Dubitatur quintò: An ipsa vita, mutilatione,
percussione, vel cicatrice reddita, præciscendo à
damnis alijs, de quibus iam hætenus dictum est, ali-
quid restituendum sit; Respondeo nihil nec spiritua-
le, nec temporale esse ex obligatione restituendum.
Ita Sanch. l. c. conf. c. 4. dub. 1. num. 7. Less. l. 2. c. 9. dub. 23.
multique recentiores contra Scot. Scot. aliòque di-
centes debere compensare pecunia; quorum senten-
tiam probabilem putat idem Less. l. 2. c. 9. d. 23. & c. 9.
dub. 23. n. 140. lege Dicast. l. 2. de iust. rr. 2. disp. 7. dub. 4.
num. 53. nobiscum sentientem, citantemque Nauarr.
Bannez, Petrum Nau. Vasq. Cou. aliòque. Ratio po-
tissima est, quia probabilis est sententia ordinis,
quando in eodem ordine restitui nequeunt; Et huius
ratio est, quia virtus iustitiæ commutativæ, quæ est
illa quæ restitutionem præcipit, respicit, æqualita-
tem: ergo ubi æqualitas inter duo lura esse non po-
test, illuc non se extendit iustitia. Cum ergo nulla
hominis vita, nec pars, ut ita loquar, vitæ, vllâ pecu-
niâ, seu vllò bono inferiori æquari possit; sequitur
iustitiam non se extendere ad præcipiendum dari pec-
uniâ, seu aliud bonum inferius pro vita, &c. Ordo
autem bonorum est huiusmodi, ex Less. l. 2. cap. 11.
dub. 15. Primum locum obtinet bonum salutis æter-
næ; sequitur bonum vitæ, membrorum, tum honoris,
& famæ; denique facultates temporales. Prolixas ra-
tiones, obiectionumque solutiones de hac re lege, si
libet, apud citatos, & vide, quæ dicam infra, cum de
restitutione fama agam.

23. Dubitatur sextò. Quid iuris contra eum, qui vo-
lens occidere vnum, alium interfecit;
Respondeo, Vt id planius reddatur, & multa per hanc
occasionem explicentur; tria certa breviter separemus, ab
incertis quatuor.

Y 2 24. Certum